Nr. praes. 168.

XXI.

NOS

JOSEPHUS ALOYSIUS PUKALSKI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Solio Pontificio Assistens,

COMMENDATOR

Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi,

Præses Commiss. pauperum Tarnoviæ.... Membrum variarum Societatum....

Vener. Clero Populoque fideli salutem et benedictionem!

Ex anterioribus notificationibus in Currendis diœcesanis Vobis Venerabiles Fratres innotuit: concordiae negotium inter graeco- et romano-catholicos hujus provinciae incolas Romae pertractatum, nec non pium desiderium debitae venerationis Sanctissimæ Sedi Apostolicæ exhibendae, visitandorumque sacrorum Liminum, animum Nostrum permovisse, quatenus ad Sacram Cathedram Urbis et Orbis peregrinationem die 21. Julii a. c. susciperemus.

Pro itineris comite elegimus jam ob linguae italicae volubilitatem jam ob alia Nobis S. Th. Doct. & Profess. hist. eccles. & Juris canonici &c. Laurentium Gwiazdoń.

Quum Nobis itaque Deo Maximo favente gratia contigerit, hujus itineris quaevis pericula superandi et ad patrium solum feliciter revertendi; non possumus retinere mente, quin Vobis Venerabiles Fratres! gratum animum pandamus quippe quum cognoverimus, Vos pieta-

te et devotione Nobis absentibus et peregrinantibus perpetuo comites fuisse. Grato sane animo percepi, Vos in oratione ad Deum pro salute et incolumitate Nostra perseverasse.

Atque etiam Deus, *cujus misericordiarum non est numerus*, devotas preces Vestras exaudire dignatus est, nam Eo nonnisi favente et adjuvante, non tantum ipsius longi ac diuturni itineris molestias sufferre, sed etiam alia tum maritimi tum per terram meatus, ac tandem propter calorem aestatis in istis regionibus facile imminentia pericula evitare poteram; Eo nonnisi miserente et favente in angustia et tristitia propter absentiam a dilecto mihi hujus Diœceseos grege solamen, animique pacem et tranquillitatem perceperam.

Patenti hocce Providentiae divinae brachio ac scuto fretus iter aggrediens, celebriorum Urbium uti: Veronae, Bresciae, Mediolani, 1) Genuæ, Livorno, Pisae 2) Florentiae 3) Ecclesias ingressi Rectores earum, etiam Præsules, Instituta varia visitavimus ac tandem ardentis Nostri desiderii scopum, loca namque sancta martyrii Principum ss. Apostolorum Petri et Pauli, thronumque Vicarii Visibilis Jesu Christi Successoris s. Petri cum ineffabili gaudio nostro attigimus. Quis namque enarrare valet sanctam illam laetitiam, hoc sublime gaudium, quo mens humana, thronum principis Apostolorum, Ejus sanguine consecratum, sicque Cathedram Urbis et orbis intuendo percellitur?! quis eloqui admirationem piamque venerationem aliorum locorum, quondam ludis profanis, sensuum illecebris, quandoque turpibus flagitiis destinatorum, postmodum vero sanguine martyrum Christi conspersorum, super quibus magnificae et splendidae corruscant Ecclesiae, 4) totidemt riumphantis Religionis catholicae perpetua monumenta! quibus iterum exstruendis et adornandis ingenium humanum, quidquid boni et pulchri, quidquid pretiosi et eximii gignere potuit, tamquam egregium pietatis et largitatis christianae specimen consecraverat. Si alicubi locorum orbis terrae, certe in hac antiqua sede Imperatorum toti orbi quondam dominantium, quisquis intueri poterit, quomodo adinstar vestis veterascentis transeat vana hujus mundi gloria, divina autem veritas et virtus eadem semper vivens ac potens perseveret.

Tanto mirabilium conspectu recreati, descendimus in urbem *subterraneam*, ubi Christianorum primi sub persecutionibus delitescentes habitabant, cultumque divinum celebrabant; descendimus ad *Catacumbas*, ubi primi fidei Athletæ requiescunt, resurrectionem generalem expec-

---

1) Hic decebat Episcopum Catholicum et Doctorem s. Theologiæ visere præprimis 2. basilicas, celebres ob 3. ecclesiæ sidera... alteram nunc Collegiatam, in qua *Ambrosius* adhuc catechumenus de eligendo episcopo perorans, voce pueri repente exclamatus episcopus... *Augustinus* vero illius concionibus ad Christum reversus, undis s. baptismatis per eundem ablutus et s. chrismate delibutus extitit, et tunc,, ambo, ut scribit S. Dacius, Eppus Mediolan. ad fontem baptismi decantabant, quæ ipsis Spiritus S. dictabat.. „Te Deum laudamus"... qui hymnus a tota Esia cath. hucusque conservatur et cum reverentia decanatnr." Bona. Ostenditur ibi limen, ad quod S. Ambrosius Theodosio ingressum ob cædem Thessalonicae factam, donec poenitentiam ageret, prohibuerat. Ambo Doctores Ecclesiæ et propugnatores fidei cath .. alteram nunc *Cathedralem* in qua fungebatur S. *Carolus Bor.* acerrimus disciplinae eccl. assertor, morum reformator, haereticorum malleus, pauperum pater. Omnes 3. albo SS. adscripti, quorum precibus magnopere commendabamus sortem nostram ac Ven. Cleri Diecesani. Utinam, sic ingemiscebamus, variis in oris et nunc fulgerent sidera tanta!

2) Pisæ celebrata erat synodus A. 1409 ad tollendum schisma occidentale exortum ob 2. simultaneos Pontifices Gregorium XII. et Benedictum XIII. sub quo electio novi Papæ, Alexandri V. facta est. Hic inter alia oculum advenae attrahit illa turris, arte notabiliter inclinata. *Genua* metropolis patriae Columbi.

3) *Florentiae* 1439. illud celeberrimum concilium ratione exstinguendi schismatis orientalis ex urbe Ferraria translatum, agebatur. 4) Templa ultra 300 numerantur Romae.

tantes. Horum sepulchra et Reliquias venerantes, cepimus ex inscriptionibus et epitaphiis 1) hinc inde obviis de identitate fidei quam nunc profitemur, convictionem et ingenue fateri cogimur, quod ex iisdem *symbolum fidei* apostolicum, si non existeret, componi posset. Illa subterranea mortuorum civitas, complectens in pluribus contignationibus tot loculos, in quibus millena millia includuntur ossa martyrum aliorumque piorum; tot templa pro cultu publico sub temporibus persecutionum excisa, *basilicae* nuncupatae; tot fidei, constantiæ et sculpturae monumenta... quanto nos affecerit admirationis, pietatis et mœstitiae affectu, calamus chartae mandare haud valet.

Singularis quoq. populi Romani devotio *publica* et *domestica* in recenti adhuc memoria haeret nostra. Inter alia pro aedificatione Vestra populique fidelis communicandum esse censemus, quod in omni ferme domicilio imo in taberna vel diversorio.. lampas ad vesperas noctuq. ardet quotidie coram imagine aliqua s... quod tyrones opificiorum bini ac bini vespertino tempore ad aliquam properant Ecclesiam recitaturi aliquot *Pater noster*, *Ave Maria* cum *Requiem aeternam* aut aliquem hymnum pro ratione Congregationis... decantaturi.. rursusq. ad labores redeunt cum devotione.

Singulari Providentiae divinae beneficio referendum habemus, quod propriis oculis cernebamus, illam rarissimam solennissimamque cum Imagine Salvatoris processionem ac devotionem coram Ea celeberrimam... quodque sub eadem Nostras interponebamus preces fervidas, lucratique tunc sumus in ipsissima Roma thesaurum *indulgentiarum plenariarum &c.*

Quod autem cujusvis ad Limina Sanctorum Apostolorum peregrinantis, ergo etiam Nostrum animum vel maxime commoverat, est dulce homagium Vicario Visibili Jesu Christi et Successori S. Petri, Sanctissimo Patri nostro Pio IX. exhibitum, cujus jam solus aspectus, et eo magis benigna suavisque comitas, quemvis in Ejus facie consistentem ineffabili dulcedine replet, cujus paternae caritatis affectus, et Apostolica sollicitudo ad universum orbem protenditur, hinc etiam ad Vos Venerabiles Fratres, populumque christianum, quem pascitis, et vicinum mirifice dirigitur.

Multum enim de Vobis, de Vestra dexteritate et fervore in explendo ministerio divino ac de aliis interpellare sermonemque miscere dignatus est. Insuper adinstar Patris filios suos toto corde diligentis, mihi effigiem Beatissimae Virginis Mariae in pretioso lapide sculptam, socio vero itineris meo Suam effigiem in numismate argenteo pro memoria dedit, eiquo dignitatem **Camerarii** Secreti Pontificii benignissime impertitus est; tandem Ecclesiae Nostrae cathedralis Capitulo, ob cognita ejusdem pietatis, eruditionis assiduaeque officiorum suorum curae merita, **privilegium** ac facultatem **cappam** romanam magnam deferendi elargiri dignatus est.

---

1) Pro exemplo citamus 8. hæc ibidem latinis litteris grandibus conspicua:

1) Cassus. Vitalio qui vixit ann. LVIII. mensibus XI. dies X. benemer: Filii fecerunt, in pace. *qui in unum Deum credidit* in pace. 2) Hic requiescit in somno pacis Agel Perga ancilla Christi, quae vixit ann. pl. (plus) m. (minus) XVIII. Credo Deum Patrem. Credo Deum Filium. Credo Deum Spiritum Sanctum. Credoque novissimo die resurgam. 3) Deo Sancto Jesu Christo uni luci tecum pace. 4) *Prima* (nomen proprium) vivis in gloria Dei et in pace Domini Nostri Jesu Christi 5) *Regina* vivas in Domino Jesu. 6) Patri et matri *Leoni* et *Maximilianeti* Leopardus filius bene merentibus in Christo Jesu (XPO) Sancto fecit. Pater. dep. VI. Idus Jan: 7) *Vitalianus* magister militum quiescit in Domino Jesu. VIII. Cal. April. 8) Depositus *Herila* Comes in pace fidei catholicae VII. Cal.

Honor autem et gratia cum Sanctissimo Patre de statu et sorte Ecclesiarum populique nostri colloquendi binis vicibus Nobis contigit.

Tandem in perpetui affectus, curaeque Apostolicae, qua Beatissimus Pater erga Nos, Vos omnes Venerabiles Fratres, gregemque christianum curae Vestrae concreditum fertur, pignus **Benedictionem Apostolicam** cum **indulgentiis** Nobis, Vobis et populo fideli Diœcesis hujus benignissime impertire Nobisq. felicem ad lares paternos duce Archangelo Raphaële reditum apprecari *) dignatus est.

Porro auscultate Fratres Venerabiles! quorsum ante et post dulcissimam hanc benedictionem gressus direxerimus.

Peragratis regionibus Septemtrioni proximioribus et in meditulio Italiae constituti, desiderio flagrabamus contuendi quoque regiones meridionales, mira in eis naturae ornamenta, artis ac pietatis munimenta, vitam moresque incolarum. Tendentes Neapolim versus ac Vesuvium vicinum nacti sumus et hic convictionem de hoc pro Italis fortunio, quod Providentia divina eorumque industria.. agros in hortos, vicos in urbes transformaverit. In via ante Neapolim conspeximus cœnobium in cacumine montis Cassino, *) incunabula Ordinis S. Benedicti, qui descendens de monte lumen ferebat illis, qui *in tenebris et in umbra mortis* sedebant; sylvicolas in agricolas convertebat, feros in humanos; quique et Nostram nunc Diœcesim Tyneciæ et in Staniątki... illuminabat, ædificabat, egenos reficiebat. O gratissima recordatio! Neapolis ad mare consistens, magnitudine et venustate irradians eminus jam peregrinantes in admirationem rapit; quid dicamus de ejus templis splendidis, palatiis grandibus, Museis et Institutis celebribus! In Ecclesia Cathedrali magnifica quanta lætitia repleti eramus, quando Episcopo Galiciae ad sepulcrum Episcopi Italiae martyris S. Januarii venerationem exhibere licuit Ossibus sacris ibi reconditis, attingereque non minus quam osculari ampullam cruore ejus refertam, qui festis statutis penes devotionem ebullire cernitur imo confortare animum ad patientiam hisce in arduis temporibus. Dieximus etiam gressus ad urbem *Sorento* et antrum caeruleum (jaskinia niebieska) in insula *Capri*, mari videlicet, cujus unda apparent *cœrulcœ*, superstructum; tandem ad montem *Eremo* nuncupatum, cum panorama mirabili, modo derelictum a Monachis S. Francisci &c. vi cedentibus.

Lustratis aliis visu dignis discessimus ad pedem montis Vesuvii ante adventum Nostrum adhuc rabidi ast tunc quieti, paulisper tantum fumigantis. Distantia a Neapoli usq. ad pedem montis ex utraque parte lapideis consita, una civitatis primi ordinis platea eaque longissima esse censetur. Non cacumina Nos cupidine colligendi notitias alliciebant; potius urbes olim celebres, nunc sepultae una cum paganismo, cui adhuc serviebant.

Pro dolor! tempore Abrahami *Sodoma*, *Gomorrha*, *Adama* et *Seboim* in terra Canaan igne de cœlo consumptæ locum cesserant undis maris mortui: urbes vero Siciliae *Her-*

---

*) Verba benedictionis ita ferme sonabant: „Te et omnes Tuos in Diœcesi benedico, tam illos, qui in civitatibus, quam in pagis habitant, sive in agro sive in artificio desudent; vel industria vel scientia occupentur, in nomine P. et F. et S.S. et Arch: Raphael comitetur Te, ut iterum cum Socio tuo feliciter revertaris ad lares patrios. Velitis pro me orare." &c.

**) Mons hic altissimus consistit in Campania, unde *campanae* nomen trahunt... quam oculis propriis grati lustrabamus idcirco.

culanum, *Pompeji*, *Stabia*, *Oplontia* et *Teglanum* anno 79 post Christ. saeviente Vesuvio igne subterraneo, obrutae extitere ingenti massa evomita.. Illarum V. F. locus aquis, hae rursus lava, cineribus &c in terram jam efformatis conteguntur, et novi pagi jam jam florent in earum tergis, Portici e. g. super Herculano. Incolæ illarum, quia nec *10. justi* reperiebantnr, omnes praeter 4. (fam. Lot) consumpti; harum perplurimi supplicium Dei effugere valebant, utique castris præsalvati nostris. Et ecce posteritas conversa ad Christum, puteos effodendo pertigit ad urbes....... Herculanum & Pompei, ubi semotis cineribus &c. apparet vita et religio paganorum, eorum templa et amphitheatra; eorum domus et occupatio, artes et divitiae, de quibus effossa nunc et exposita in Museis Neapoli, Romae &c. &c. suppeditant notitias perplures easque pergratas.

Notitiis diversi generis in hac calidissima regione ditiores effecti revertebamur in metropolim orbis, quam a pluribus annis Patri fidelium et orbi Catholicorum universo eripere anhelant vesani Ejus filii. Hic commendabamus sortem Diœceseos ad limina Principum Apostolorum 1) et accepta dulcissima a Patre omni amore et veneratione Dignissimo benedictione direximus iter Civitavesciam, inde alia via discessuri per mare, cujus undis quatiebatur navigium sine rhemis Lazari cum sororibus aliisque sociis versus Marsiliam, quorsum navigium illud appulit et ubi haec familia sancta prima jecit fundamenta religionis, qua gloriabatur postmodum Gallia tota; dein per *Franciam*, *Helvetiam*, *Bavariam* et *Austriam*, ut quidquid visu aut notatu dignum sisteretur oculis, isthoc tamquam sarcinam reportaremus in patriam.

Marsilia, *Avinio*, *Lugdunum* objectum constituat, de quo ad Vos loquamur. Urbs prima, vastissima, depositorium mercium ex omnibus orbis plagis, celebris ob incunabula fidei Christianae in Gallia, ob episcopatum Lazari et ob Instituta maritima, magis mercaturae speculationi quam devotioni intenta deprehenditur.

Avinione deplorabamus illud infortunium, quod Pontifices ibi sedem ab A. 1305 usque ad A. 1376 fixerant, et fere ab arbitrio regum Galliae penderent &c. quodque et hodiedum obcœcati Successorem Petri Ro a independente privare et arbitrio civilis alicujus Regiminis exponere attrectant.

Lugdunum urbs pulcherrima, memoratu digna jam ob concilium I. sub *Innocentio* IV. A. 1245 contra *Fridericum* II. Imperatorem habitum, in quo agebatur quoq. de tuendo regno Hierosolymitano, de mittendo Constantinopolim subsidio, et tartarorum impetu ac ferocia comprimenda &c. nec non ob Concilium oecumenicum II. sub Gregorio X. A. 1274 ratione unionis Graecos inter et Latinos, reformationis morum et mittendi subsidii terrae sanctae &c. celebratum... jam ob multiplicis generis artificia, quae in decorem domus Dei et palatiorum plurima suppeditant; ob lapideas amplissimas et Ecclesias venustissimas cum populo devotissimo.. In sepulchro Ecclesiae S. Irenaei subterraneo ostenditur acervus Martyrum 19000 sub

---

1) Singulariter ad sepulchrum S. Petri, quod diu noctuque flammis in 150 lampadibus deauratis illuminatur, non sine lacrymarum profusione, missam celebrans, intercessionem Ejus pro bono Diœceseos, pro salute parentum, amicorum &c. exorabam, catenas ejus osculabar, carcerem Mamertinum, in quo etiam S. Paulus detinebatur, simulq. domum nunc ecclesiam, ubi S. Paulus laborabat et cum S. Luca habitabat, venerabar &&c.

Severo passorum, tempore turbarum profanatorum et nunc in unum locum cogregatorum; item puteus sub eadem Ecclesia, in quem ossa martyrum primitive projecta erant.

Cathedralis Ecclesia ex ævo S. Ludovici, gaudet inter alia horologio celeberrimo, ex quo vario tempore figuræ Sanctorum prodeunt, et in eo dies &c. significantur. Templum aliud vetustissimae structurae ex ævo Romanorum continet carceres martyrum subterraneos.

E Gallia reportantes dulcem de fertilitate, agilitate et industria recordationem transvecti ad confinia Helvetiae, reipublicae olim catholicissimae, ast postmodum Calvinismo infectissimae, pedem fiximus *Genevae*, dein *Bernae*, *Basilieae*, *Constantiae* &c. Sincere fatemur, Nos respirantes hic aura puriore vix a Nobis depellere valuisse cogitationem, quod montium Helvetiae gigantes, gelu et nivibus perpetuis obruti, refrigerent incolarum animos, in quos religio omni externa splendoris ornatu spoliata facile invenit aditum. Item respublica jugi civilis impatiens, tentationi excutiendi jugum religionis revelatae, Catholicae, continuo auxilio superno fertilis, ast mortificationem in membris inculcantis,. resistere haud valebat.

Geneva in littoribus lacus ejusdem nominis emicans omne tulit punctum; hic cathedra (universitas) Calvini, ex qua pseudo-apostoli in omnem terram emittebantur; sepulcrum hujus Coriphei, ast sine monumento, imo sine epitaphio 1) locus natalis illius docti ast paradoxi Viri Rousseau.... residentia artis horologicae, in qua nunc D. Pattek Polonus cum aliis excellit, basilica nova gothica venustissima, in qua refulget statua e marmore carrarico, a P. Pio IX. donata, quam saepe osculari solebat &c. Similis Ecclesia impraesentiarum aedificatur a Catholicis Bernae, quae plurima visu digna exhibet.

Quemadmodum *Geneva* apperuit Nobis quasi ingressum ad Helvetiam e parte meridio-occidentali, et *Berna* 2) constituit meditulium in hoc transitu ferreo, ita *Basilea* occupat extremitatem Helvetiae septemt. versus occasum, tandem Scaphusium (Schaffhausen) ubi Rhenus in meridionali Republica prosiliens, ingenti cum strepitu ex altis praecipitatur, totus spumans et vociferans, indignando, quod mox solum patrium deserere cogetur. 3) Utinam mortales tantam proderent indignationem, quotiescunque conspicerent voraginem abyssi, ad quam eos iniquitas e patria cœlesti certo certius praecipitare timetur. *Constantia* e diametro versus orientem resplendet in undis lacus *Brigantini* (Bodensee). Ambae urbes vastissimae, videbant olim universalem in sinu suo deliberantem Ecclesiam.. in posteriori A. 1414 propter tollendum schisma, quum Ecclesia occidentalis in 3 partes ob 3 pontifices dissecaretur, et de extirpanda haeresi Hussi et Hieronymi 4) Bohemorum, quae lue et discordia inficiebat eorum

---

1) Fortunatior erat Laelius Socinus, quia in Lusławice ad Zakliczyn prostat adhuc lapis grandis cum inscriptionibus, contegens loculum, ante an. circiter 40 adhuc elevatus, modo in superficie terrae a porcis dehonestatus et obliteratus. Calvinus etiam noscitur crudelissimus, nam eo instigante *Gentilis* Bernae decollatus *Servet* Genevae combustus... alii in exilium missi ideo, quia ejus adversabantur commentis.

2) Bernæ ædificatur modo grandis Ecclesia in stylo Byzantino, pro qua Catholici 500000 franc. contulerant, qui hucusque in templo Calvinico devotionem peragere coguntur, quando adversarii cultu vacant.

3) Hæ cataractae Rheni unicæ in Europa, in quibus crux insignis, vehementissimo impetui resistens, viatori stupenti plura suggerit sensa pia. Hic *abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum*, Ps. 41. 8.

4) Ambo ut notum, hæreseos damnati, brachio dein sæculari traditi et rogo impositi extitere. Fides tunc etiam penes civitatem erat firmissima, quod *extra Ecclesiam non est salus. Apostasia, haeresis* in V. F. erat crimen

patriam et vicinas provincias.. in priori sub *Eugenio* IV. A. 1424. de concilio pro unione Graecorum celebrando, de ecclesiae et aulae Romanae reformatione aliisq. Ecclesiae variae, domus conciliorum, instituta diversa.... animum refocillabant et veneratione admirationeve replebant.. 1)

Postea velociter traducti in Bavariam, ubi Reformatorum lues non totam infecerat, sub frigore attigimus metropolim, *Monachium* videlicet, quod plurima itinerantibus sistit oculis..

Quis non celebret ejus artem industriamve in fundendis monumentis grandissimis, statuis e. g. *Bavaria* 2) in foro costituta; fenestras pro templis repletas picturis infusis; musea pro antiquitatibus et viris Germaniae celebribus, in aedificandis magnificis templis &c.!

Monachio vehebamur Salisburgum, stationem quondam legionum Romanarum, residentiam Primatis olim imperii Germaniae et nunc Archiepiscopi cum jure confirmandi Suffraganeos Eppiscopos in Styria, &c. ubi prostant innumera documenta Regiminis quondam Archiepiscopalis, felicissimae memoriae, sub quo tot publica aedificia, tot Ecclesiae,... extructae, meatus 3) in saxis, in salifodinis excisi sunt.. Puteus marmoreus ingentis altitudinis saliens, singulare fori ornamentum. Hic locus natalis celeberrimorum in compositione Musicali virorum *Mozarti* et *Hajdeni.* Circa Salisburgum hortus in Hellbrunn artifici sissimus origimen suam debet Archiepiscopo.. Ostendunt quoque cœmeterium Romanorum ac thesauros effossos ex auro, argento, gemmis, vasis fictilibus... et solum ducis legionum obtectum mosaicum maximi pretii.

Lincii inter alia venerebamur sepulchrum p. m. Thomae Ziegler, 1mi Episcopi Tynec. et Tarnov. orantes pro anima Ejus, dulcissimae semper recordationis in hac Diœcesi.

Ne longiores fiamus, caetera, quae porro Venerabilem Clerum demulcere aut super his aliisque illustrare valerent, 4) silentio jam premenda esse reputamus; id nonnisi adhuc communicandum censemus, quod memores vinculi unitatis et charitatis, quo membra unius salvificae Ecclesiae conglutinemur, ubique locorum, Praesules dignitatesque praesentes, invisere, quibuscum non minus quam cum Clero locali colloquia salubria texere solebamus, ut inde referremus diversa, jam pro utilitate Ven. Cleri jam pro salute populi fidelis... quodque in oris disparitatis cultus pro conversione ad unitatem Ecclesiae, pro concordia principum,...... Numen divinum interpellare non cessabamus ad instar orantis Salvatoris ante acerbissimam passionem.

---

perduellionis erga Jechovam, severitas hæc transierat ad Imperantes Catholicos. Laxitas vero ævi nostri induxit *indifferentismum*, eumque perniciosissimum, quia multi religionem detrudunt ad *adiaphora*.

1) Basileae quoq. Ecclesia largitate et zelo Catholicorum noviter extructa stylo gothico, in qua altaria, confessionalia, ambon, organum, cuncta eundem stylum exhibent, novum est documentum reflorentis vitæ Catholicæ,

2) Tantæ est vastitatis, ut in capite mensa et sellæ et plures personae locum capere et exinde foraminibus has illasve regiones lustrare valeant.

3) Rupes versus Bavariam occidentalis, occludens urbem ex illa parte, cura Archiepiscopi Sigismundi pertusa, in fronte defert effigiem ejus excisam et inscriptionem grandem: „Te saxa lequuntur."

4) De Romae aeviternae specialibus, de 7. Basilicis, de munificentissimis structuris, picturis et sculpturis venustissimis, ornamentis, et monumentis antiquissimis, de Palatio Pontif. seu Vaticano, de Capitolio, Colosseo, arcubus Titi, Constantii triumph. cœmeteriis, seu catacumbis extra urbem. &&c.

Compositis demum Vindobonae negotiis jam temporis angustia jam affectus propensionis erga Dilectos in Christo... urgebat reditum ad ovile tamdiu derelictum.

Cepimus persuasionem in stationibus Dioeceseos Nostrae ad viam ferream de Vestro etiam desiderio contuendi Praesulem Vestrum, veneratione salutandi et benedictionem Apostolicam ex ore Nostro excipiendi, quia in *Oświęcim*, *Słotwina*, *Bogumiłowice*, *Tarnoviae*, etsi dies adventus paucissimis nonnisi innotescere poterat, comparuit Ven. Clerus hunc in finem. In *Słotwina* Deputatus Capituli, una cum Ven. Clero e Decanatu Brest. et Wojnicensi, in *Bogumiłowice*, populus quoque fidelis, Tarnoviae primae dignitatis Personae de P. T. Capitulo, de Inc. C. R. Officio Circul et Militari.... expectabant adventum nostrum; exhilerati dein conspectu nostro comitatum praestabant in urbem, cui apropinquando pulsus campanarum festivus, tamdiu non auditus, dulcissime resonabat in auribus nostris.

Ad cathedralem basilicam advecti honorificentissime ad portam majorem excipiebatur ille, qui in *nomine Domini* discesserat et nunc redierat, ducebaturque ad majus altare, ubi exceptus benedictione cum Sanctissimo post „Te Deum laudamus“.. *elargiebar benedictionem Roma allatam* Ven. Clero, Alumnis Semin. populoque copiose congregato.

Suscipite Fratres Venerabiles! interim, donec resultatum deliberationis Romae intuitu quorumdam Latinos inter et Græcos in regno hocce agitatæ serius pandatur, benevolo animo præsentem itineris delineationem, quam Vobis pro majori Conditoris gloria; pro congruo artis, industriae ac pietatis laude; pro debita demum erga tantum Urbis et Orbis Principem veneratione gratitudineque elicienda emittere proposui. Nil restat, quam profunde Cordi Vestro infigere, rursusque obstringere, ut in Vestris orationibus, præsertim in sacro Missæ sacrificio, ope *Memento* et *Collectae* perpetuo memoriam Sanctissimi Patris Nostri Pii IX recolere, ac pro Ejus salute et incolumitate ardentes preces ad Deum dirigere nunquam desinatis.

Non obliviscemini commendare populo catholico, fundendas preces devotas, ut Eum Deus Optimus Maximus conservare. protegere Eique in omnibus adversitatibus et aerumnis, quibus hodie præsertim S. Romana Ecclesia ac Sedes Apostolica premitur, fortitudinem animi consolationemque tribuere, ac tandem virtutem omnes Ecclesiæ hostes feliciter superandi elargire dignetur. Ad ejusmodi preces populum fidelem solerter excitantes, tandem *Benedictionem Sanctissimi Patris Apostolicam* proxima Dominica ex ambone communicate. Denique etiam pro me indigno servo Dei orate.

Dabamus in Palatio Episcopali die 6. Novembris 1863.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviae & Jasło. Typis Anastasii Rusinowski, 1863.